



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCXII. Ioannis Papae VIII. Ad Hvgonem Et Radvlfvm. Quod  
Vendoaram villam sancti Petri Pultariensis nulli concesserit, &  
Arembertum, qui a Bosone eam accepit, excommunicari iusserit, nisi ab ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

que illorum, imo nostra familia crudeliter assidue vexatur & opprimitur. Ita sane ut neque arare, neque cetera quæ ad terræ culturam pertinent, possit exercere. Quapropter & vestrum auxilium eidem sancto loco impendantis, & contra Dei atque eius aduersarios manum vestram potentiam, pro amore Dei, & sanctorum apostolorum Petri ac Pauli, nostraque dilectione, extendatis, quatenus vestro potenti brachio freti, salui in omnibus & securi consistant: ut & in praesenti dignas a nobis retribuciones, & in futuro multiplicem a Domino valeatis mercedem cum sanctis recipere.

## EPISTOLA CCXII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD HVGONEM ET RADVLFVM.

Quod Vendoaram villam sancti Petri Pultariensis nulli concesserit, & Arembertum, qui a Bosone eam accepit, excommunicari iusserit, nisi ab ea abstineat.

*Hugoni & Radulfo fidelibus nostris.*

**C**OGNOSCANT pro certo fidelitas vestra, quia nos ipsam villam nostram Vendoaram, quam dicitis esse inuasam a Bosone comite, quasi nos eam cum illo commutassimus accipientes alteram ab eo, neque beneficiali more, neque alicuius commutationis tenore, neque alio quocumque modo, cum eodem Bosone, vel alio quocumque homine, dedimus, neque commutauimus. Ideo in fidelitate & seruitio sanctorum apostolorum Petri ac Pauli deuota mente permanentes, ipsam villam sub nostro iure teneite, defendite, & cum Domini auxilio gubernate, nec alicui homini credatis nos aliquando præfatam villam quolibet modo daturos. Direximus vero, pro nostro adiutorio ac defensionis auxilio, literas nostras iam dicto Bosoni comiti, ut pro amore Dei, & S. Petri, ac nostro, & suos homines inde remoueat, & ipsam villam nullatenus inuadere, nec inuasam retinere præsumat: quin potius suo vos brachio tueatur, & ab omnibus erga vos male agentibus dignetur defendere, si gratiam Dei & principis apostolorum cupid habere. Arembertum autem vasallum eius, cui ipsam villam beneficio dederat, omni ecclesiastica communione per Isaac venerabilem episcopum iussimus esse

priuatum, si in eadem villa vterius temere intrare , aut aliquam ibi contrarietatem facere præsumperit.

## EPISTOLA CCXIII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD BOSONEM COMITEM.

Vt Arembertum & quoquis alios a Vendoara villa remo-  
ueat, eamque Pultariensibus restituat, &  
monasterium ipsum tueatur.

*Dilecto filio Bosoni glorioſo principi.*

**Q**VANTA vos dilectione, quantoque nostræ paterni-  
tatis dilexerimus affectu ex eo quo vestram subli-  
mem cognouerimus gloriam, ipsi abundanter recolitis:  
quoniam & vestra nos excellentia, veluti patrem spirita-  
lem, in omnibus colere & honorare animo tranquillo cu-  
rrauit. Quo videlicet mutuae dilectionis feedere confisi, ea  
quaæ sub iure sanctorum apostolorum principum Petri ac  
Pauli per totius Galliæ prouincias immobilia loca confi-  
stunt, cum hominibus, omnibusque sibi pertinentibus, vt  
vestro potenti brachio defensa manerent rogauiimus, ve-  
stroque auxilio secura confisterent. quod vos pro amore  
Dei & S. Petri, nostroque honore, nobis libenter facere  
promisistis. Nunc autem, sicut audiuimus, villam nostram  
Vendoaram absque nostro consensu & voluntate occupa-  
tis, & vni vestro vasallo, nomine Aremberto, in benefi-  
cium dedistis, &, si verum est, non bene, sicut vos dece-  
bat, egistis. Ideo rogamus, fili carissime, celsitudinem  
tuam, vt propter amorem Domini, & S. Petri cælestis re-  
gni clauigeri, ipsam villam nostris, qui ibidem resident,  
hominibus sub nostro iure, sicut nos eam ordinauimus, li-  
ceat habere securiter: omnesque vestros, vel alienos ho-  
mines ab eiusdem villa habitatione vel dominatu remo-  
ueatis: nec vestris diebus aliquam a quocumque homine  
contrarietatem patiamur. Simili etiam modo petimus, vt  
monasterium S. Petri, quod appellatur Pultariense, & Ge-  
rardus quondam comes de rebus suis perfecit, atque dota-  
uit, & sancto Petro tradidit, vestra in omnibus tuitione ad-  
iuuetur: quia fratres qui in eo consistunt, & sedulas Deo lau-  
des persoluunt, orantes pro salute omnium in Christo cre-

*Concil. Tom. 24.*

I iij